RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA ERUDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLXXIV

INDICIT.

Praemissa est Ludovici Langii de ephetarum Atheniensium nomine commentatio.

LIPSIAE
TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.

Ephetarum Atheniensium nomen a verbo ἐφιέναι vel ἐφίεσθαι deductum esse primo oculorum obtutu satis probabile omnes iudicabunt. Sine dubio enim ab eo verbo ope suffixi τη nomen agentis ἐφέτης formari poterat. Ac videtur tale nomen agentis posterioribus temporibus re vera in usu fuisse eum significans, qui vel sagittam (Schol. rec. ad Aesch. Pers. 80 ἐφέταις ἢ τοξόταις) vel pilam (Eustath. ad *E* 174 p. 536, 26. Etym. M. s. v. ἐφετίνδα p. 402, 39; cf. Eustath. ad ζ 115 p. 1554, 34. Hesych. s. v. ἐφετίνδα II p. 240 Schmidt. Poll. 9, 110. 117) alicui immittit. Si autem quaesiverimus, ad quamnam verbi ἐφιέναι vel ἐφίεσθαι notionem ephetarum Atheniensium, qui iudicum munere in causis homicidariis fungebantur, nomen vetustissimum referendum sit, maximae nobis difficultates oborientur.

Nam, ut ab antiquissimo nominis explicandi conamine ordiamur, verbum ἐφιέναι nonnunquam quidem eam significationem habet, ut Latinorum verbis *permittere*, *committere*, *tradere*, respondeat (cf. Thuc. 1, 95 οἷς οὐκέτι ἐφίεσαν οἱ ξύμμαχοι τὴν ἡγεμονίαν. Soph. Ai. 1297 ἐφῆκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν). Attamen erravit sine dubio Clitodemus Atthidographus, qui ephetas Athenienses inde dictos esse coniecit, quod in causa Demophontis fabulosa iudicandi ἐπὶ Παλλαδίῳ de homicidis involuntariis officium ab Argivis et Atheniensibus quinquaginta Argivis et quinquaginta Atheniensibus permissum sit (Eustath. ad α 321 p. 1419, 56. Etym. M. p. 362, 43. Suid. et Harpocr. s. v. ἐπὶ Παλλαδίῳ. Michael Apostol. 7, 34

apud Leutsch. paroem. II p. 403; cf. Paus. perieg. 1, 28, 9). Nam ut omittam lubricam totius fabulae naturam, *παρὰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων αὐτοῖς ἐφεθῆναι τὰ τῆς κρίσεως* neque mixtum illud arbitrorum Argivorum et Atheniensium collegium, quod prorsus fabulosum est, neque Atheniensium ephetarum collegium, quod non ex quinquaginta, sed ex quinquaginta et uno hominibus constabat, neque in uno illo dicasterio iudicabat, nominari poterat. Nomen enim agentis *ἐφέτης*, a verbo *ἐφιέναι*, *permittere*, derivatum, ex linguae graecae usu, de quo infra accuratius egi, non significaret eum, cui aliquid permittitur, sed eum, qui aliquid alteri permittit. Quod negare non debuit Weberus, qui in editione Demosthenis Aristocrateae p. 269 Clitodemi etymologiam defendit.

Atque hanc quidem offensionem grammaticam vitavit C. H. Lachmannus, qui ab eadem verbi *ἐφιέναι* significatione profectus in libro de Spartanorum re publica (die spartanische Staatsverfassung. Breslau 1836. p. 273, not.) nomen ephetarum ita explicare conatus est, ut eos propterea ephetas nominatos esse diceret, quod caedem, quam *non involuntariam* aut *non iustam* esse iudicavissent, Areopago iudicandam *permisissent* vel *tradidissent.* Sed quis crediderit ephetas ab eo nominatos esse, quod, cum archon rex causarum omnium homicidariarum *ἀνάκρισιν* haberet et sine dubio magnam diligentiam ad eam adhiberet, aut nunquam aut rarissime factum est?

Neque magis probanda est Droyseni ratio, qui in commentatione, quae inscribitur „die attische Communalverfassung" (Schmidt, Allgemeine Zeitschrift für Geschichte. Vol. 8. Berolin. 1847. p. 332), ex Photii glossa *ἐφίησιν· ἐπιτρέπει* (cui addere poterat Hesych. et Suid. s. v. *ἐφίησιν*) falso collegit *permittere* illud idem esse ac *mandare,* et propterea ephetarum, quos eosdem esse censet atque naucraros, nomen inde derivavit, quod naucrarorum senatus summam in re publica potestatem, imprimis iuris dictionem, novem archontibus, quos eosdem esse censet ac prytanes naucrarorum, mandavisset. Quam explicationem, quanquam activa notione vocabuli *ἐφέτης* commendaretur, si omnino ferri posset, propter insignem rerum diversarum confusionem iure suo C. F. Hermannus (de Dracone legumlatore p. 16) repudiavit.

Deinde *ἐφιέναι* in forensi quidem usu idem fere significat, quod

Latinorum *appellare*, *provocare* (Poll. 8, 62. Harpocr. Suid. Phot. Zonar. Etym. M. Hesych. Lex. Seg. s. v. ἔφεσις). Construitur autem ita, ut condemnatus dicatur ἐφιέναι εἰς ἕτερον δικαστήριον aut τὸν διώκοντα (Dem. adv. Phormion. 21 ἀλλ' ἐφῆκεν ἡμᾶς εἰς τὸ δικαστήριον) aut τὴν δίκην (Dem. adv. Boeot. de dote 31 καὶ τὰς πάνυ μικρὰς δίκας εἰς ὑμᾶς ἐφιᾶσιν), unde in absoluta constructione ἐφιέναι εἰς vel ἐπὶ δικαστήριον vel δικαστήν, quae frequentissima est, apparet subintellegendum esse accusativum vel personae vel rei. Atque ad hunc verbi ἐφιέναι usum etiam hoc pertinet, quod Cratinus comicus lusus ἐφετίνδα nomen iocose ad appellationes iudiciales transtulit (Etym. M. p. 402, 42). Quanquam igitur de usu forensi verbi ἐφιέναι minime dubitandum est, prorsus tamen inepta est Byzantinorum grammaticorum etymologia, qui ephetas ideo, nimirum κατ' ἀντίφρασιν, dictos opinati sunt, quod ab eis ad alios iudices *provocari non* potuisset (ὅτι ἔφεσις παρ' αὐτῶν οὐ δύναται εἰς ἄλλο δικαστήριον γενέσθαι Etym. M. Suid. Phot. Zonar. s. v. ἐφέται. Michael Apostol. 7, 34).

Aliquanto doctior neque tamen verior est Pollucis explicatio, qui in Onom. 8, 125 videri ephetas nominatos esse dicit, ὅτι πρότερον τοῦ βασιλέως ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ κρινομένους ἐξετάζοντος ὁ Δράκων τοῖς ἐφέταις παρέδωκε τὴν κρίσιν, ἐφέσιμον ἀπὸ τοῦ βασιλέως πεποιηκώς. Quam explicationem C. F. Hermannus, qui acerrimus eius defensor extitit (quaest. de iure et auct. mag. Heidelberg. 1829. p. 63. Griech. Staatsalt. §. 102, 12 sq. 105, 2. de Dracone legumlat. Gotting. 1851 p. 15 sqq.), Aristotelis auctoritate frustra tutari studuit. Nam etsi errare potuisse in etymologicis quaestionibus Aristotelem libenter concedo, tamen nulla causa est, cur aut ceteros errores, quos Pollux eo loco commisit, aut falsam hanc etymologiam summo philosopho imputemus. Falsam autem esse illam explicationem facile est ad demonstrandum. Nam ut omittam errorem Pollucis de Dracone ephetarum collegii conditore (cf. Ad. Philippi, der athenische Volksbeschluss von 409/8, N. Jahrb. 1872. p. 604. Das Amnestiegesetz des Solon und die Prytanen der Naukraren zur Zeit des Kylonischen Aufstandes, Mus. Rhen. vol. 29. 1873. p. 11. N. Wecklein, der Areopag, die Epheten und die Naukraren, Sitzungsber. der Münchner Akademie 1873. p. 12 sqq.), ephetae omnino non erant iudices, ad quos condemnati

a iudicio regis archontis provocabant, id quod sollemni coniunctione verborum *δικάζειν* et *διαγνῶναι* (Corp. inscr. att. I, n. 61 p. 37 sq. Dem. Aristocr. 37 sq.), quorum illud ad regem archontem, hoc ad ephetas spectat, extra omnem dubitationem positum est (cf. U. Köhler, attische Inschriften, in Herm. vol. 2. 1867. p. 32). Sed ut fuerint iudices eiusmodi, a verbo tamen *ἐφιέναι* nominari *ἐφέται* non potuerunt; *ἐφέτης* enim activo sensu significaret eum, qui provocat (cf. Etym. M. p. 402, 45 *ἐφέτης ὁ πέμπων τὴν ἔφεσιν*), non eum, ad quem provocatur. Quanquam enim nonnulla nomina in *τηρ* vel *της* exeuntia extant, quae passivam significationem prae se ferunt (Lob. ad Soph. Aiac. 241. paral. p. 428. C. F. Hermann de Dracone p. 17), plurima tamen eorum activo sensu intellegenda sunt, quippe quae instrumenta vel res inanimas ita significent, ut quasi animatae personae esse fingantur; qualia sunt ex eis, quae Hermannus congessit *ἐμβάτης*, calceus, *ἐνδυτήρ* et *ἐπενδύτης*, vestis (cf. *Ueberzieher*), *βατήρ*, limen (cf. *Abtreter*), *πρατήρ*, lapis in quo servi venibant, *ἐλατήρ*, placenta, *καμπτήρ*, meta, *καθέτηρ*, monile; pauca quae restant: *μύστης*, qui initiatur, *γενέτης* de liberis usurpatum, et alia illa, quae Lobeckius attulit, quoquo modo de eis iudicas, ita certe comparata sunt, ut activum, quod subest, accusativum regat, non cum praepositione *εἰς* vel *ἐπί* et accusativo eius construatur, qui substantivo in *της* inde derivato significari creditur. Itaque iure olim O. Muellerus (Aesch. Eumen. p. 154) et G. F. Schoemannus (ant. iur. publ. p. 171, not.), nuper N. Weckleinius (l. c. p. 28) eam etymologiam reprobarunt.

Porro certum quidem est *χεῖρας ἐφιέναι* et graecum et vero etiam Homericum esse (Il. *Α* 567 *ὅτε κέν τοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω*); itaque poterat sine dubio *ἐφέτης* nominari is, qui alteri manum *inicit* vel *imponit*. Nihilo tamen minus spernenda est Buttmanni etymologia, qui in grammatica graeca II 326 (421²) ephetas inde nominatos esse coniecit, quod loco propinquorum occisi manum homicidae *imposuissent*. Nam ephetarum, quales quidem nos ex antiquitatis monumentis cognovimus, non erat manum imponere homicidae, sed in consilio regis archontis causam accusati homicidae et cognatorum hominis occisi disceptare (*διαγνῶναι*).

Non minus certum est graece recte dici *ἐφιέναι τινί τινα*, *aliquem ad aliquem mittere* (Il. *Ω* 117 *αὐτὰρ ἐγὼ Πριάμῳ μεγαλήτορι Ἶριν ἐφή-*

σῶ), neque dubito, quin id etiam hostili *immittendi* sensu dici potuerit (cf. infra p. 8). Unde profectus O. Muellerus (Aesch. Eum. p. 154) Buttmanni explicatione spreta ephetas ideo nominatos esse censuit, quod *ἐφιᾶσι τῷ ἀνδροφόνῳ τὸν ἀνδρηλάτην*. Sed non cogitavit vir ingeniosissimus hoc non magis esse ephetarum, quam „manum imponere" illud, quod ipse reiecerat. Rectissime enim monuit G. F. Schoemannus in prooemio Gryphisvaldensi anni 1833 (opusc. 1, p. 196, not.) iudicia *φονικά* eo potius consilio instituta esse, ut obsisterent ultioni privatae *τοῦ ἀνδρηλάτου*, quam ut hunc immitterent in adversarium.

Praecipiendi quoque vel potius *imperandi* significatio etsi aliena est ab activo *ἐφιέναι* (nam in Il. *Α* 518 *ὅτε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεις Ἥρῃ* verbum *ἐφήσεις* potius *immittes* explicandum est), tamen a medio *ἐφίεσθαι* abiudicari non potest (Il. *Ψ* 82 *ἄλλο δέ τοι ἐρέω καὶ ἐφήσομαι, αἴ κε πίθηαι*. *Ω* 300 *ὦ γύναι, οὐ μέν τοι τόδ' ἐφιεμένῃ ἀπιθήσω*. Od. *ν* 7 *ὑμέων δ' ἀνδρὶ ἑκάστῳ ἐφιέμενος τάδε εἴρω*. Cf. Thuc. 4, 108). Ideoque Schoemanno (l. c.) non improbabile visum est nomen ephetis propterea inditum esse, quod cognita causa *praecepissent*, quid de reo faciendum esset, utrum supplicio affici an exulare an expiari deberet. Quam sententiam in antiquitatibus graecis (I p. 483[2]) his verbis repetivit: „Epheten oder Anweiser (des Rechtes) wurden sie wohl deswegen genannt, weil sie Anweisung zu geben hatten, wie in jedem Falle gegen den Angeklagten oder Verurtheilten zu verfahren sei." Sed haec explicatio propterea probari non potest, quod tale nomen omnibus iudicibus eodem iure atque ephetis tribui potuit; omnes enim iudices praecipiunt, quid de reo faciendum sit. Neque defendi potest tam vaga iudicum homicidariorum significatio vocabuli *θεσμοθέτης* notione etymologica, quae sine dubio minus vaga est.

Atque hi quidem omnes ab eis verbi *ἐφιέναι* vel *ἐφίεσθαι* significationibus profecti sunt, quas in usu fuisse litterarum graecarum monumenta testantur. Qui autem nuperrime novam vocabuli *ἐφέτης* etymologiam proposuit, N. Weckleinius (l. c. p. 29), profectus est a significatione, quam verbum *ἐφιέναι* omnino non habuit neque habere potuit. Res haec est. Aeschylus in parodo Persarum de Xerxe v. 73 sqq. (ex Dind. rec.) haec dicit:

πολυάνδρου δ' Ἀσίας θούριος ἄρχων
ἐπὶ πᾶσαν χθόνα ποιμανόριον θεῖον ἐλαύνει
διχόθεν, πεζονόμοις ἔκ τε θαλάσσας
ἐχυροῖσι πεποιθὼς
στυφελοῖς ἐφέταις, χρυσογόνου γενεᾶς ἰσόθεος φώς.

Ad haec Weilius adscripsit: „Ἐφέτας duces denotat, qui in proelia milites mittunt: cf. Eur. Heracl. 393 πεδία μὲν οὖν γῆς ἐς τάδ' οὐκ ἐφῆκέ πω στρατόν. Utrumque ad gregem humanum verberibus actum egregie convenit.“ Hinc Weckleinius: „Da ἐφέτης in der Stelle der Perser offenbar *der Treiber* heisst — das Heer ist eine Herde, welche der Führer *vor sich hertreibt*, vgl. Weil's Note zu d. St. —, so werden wir auf den Begriff ἀνδρηλάτης geführt, und so erscheinen die Epheten als die Richter, welche den Blutbann ausüben (ἐφ' αἵματι δικάζοντες), die Einsetzung der Epheten aber als die Aufhebung oder gesetzliche Regelung und Beschränkung der Blutrache.“ Quae si recte intellego, Weckleinii sententia haec est, ut ἐφέτας propterea dictos esse statuat, quod ipsi post abolitam ultionem privatam vices τοῦ ἀνδρηλάτου sustinentes ἐλατῆρες τοῦ ἀνδροφόνου fuissent. Ut omittam hanc muneris ephetarum interpretationem aeque perversam esse atque eam, quam Buttmannus proposuerat, contraque eam idem valere, quod Muellerus contra Buttmannum, Schoemannus contra Muellerum dixerant, nominis certe explicatio ob eam rem reicienda est, quod notio, quam Weckleinius verbo ἐφιέναι tribuit, non huius verbi, sed verbi ἐλαύνειν est. Negari quidem non potest verbum ἐφιέναι *immittendi* sensu eo, a quo O. Muellerus profectus est (p. 7), etiam de ducibus usurpari, qui exercitum vel milites (cf. Herod. 5,63 ἐπῆκαν τῷ στρατοπέδῳ τὴν ἵππον. 9,49 ἐπῆκε τὴν ἵππον ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας) hostibus immittant. Sed hinc nihil aliud sequitur, nisi duces militares, id quod Weilius voluit, ἐφέτας dici *potuisse*, iudices autem homicidarios inde ἐφέτας, h. e. ἐλατῆρας, dici *potuisse*, nedum dictos esse, eo minus probatur, quod aliud est ἐφιέναι τινά τινι vel ἐπί τινα, aliud ἐλαύνειν, *vor sich hertreiben*. Nam ea tantum condicione iudices illi ἐφέται eo sensu dici potuissent, si τὸν ἀνδροφόνον τινί vel ἐπί τινα immittere dici potuissent. Quare Odofredi quidem Muelleri ratio, ex qua ephetae

ei sunt, qui *τὸν ἀνδρηλάτην ἐφιᾶσι τῷ ἀνδροφόνῳ*, quod ad usum verbi *ἐφιέναι* pertinet, ferri poterat; Weckleinii ratio, ex qua ipsi *ἐλατῆρες* dicuntur *ἐφέται* appellati esse, ferri non potest. Ceterum in Persarum parodo ne militares quidem duces ab Aeschylo ab *immittendo* exercitu *ἐφέτας* dictos esse Weilio concedo. Nam cum poeta Xerxem exercitus gregem (*ποιμανόριον*) in omnem terram agere (*ἐλαύνειν*) dicat, vix probabile est eadem agendi vel immittendi imagine deinceps eum in ducibus Xerxis nominandis usum esse. Atque Aeschylum a tam languida tautologia prorsus alienum fuisse facile intellegetur, si verba *πεζονόμοις ἔκ τε θαλάσσας*, quae de exercitu et pedestri et navali intellegenda sunt, cum Schillero (in edit. Weidmanniana 1869) a verbis *ἐχυροῖσι πεποιθὼς στυφελοῖς ἐφέταις* separaveris, haec ipsa autem verba cum genetivo sequenti *χρυσογόνου* (vel *χρυσονόμου*, quae est lectio cod. M) *γενεᾶς*, quem ab *ἰσόθεος φώς* pendere editores omnes (Schillero non excepto) nescio quibus causis commoti statuunt, coniunxeris. Ita enim construunt poetae verba scholia recentiora: *πεποιθὼς καὶ θαρρῶν ἐφέταις ἢ τοξόταις καὶ ἡγεμόσι τοῖς ἀπὸ τῆς χρυσονόμου γενεᾶς.* Eandemque constructionem etiam in scholiis veteribus aliquando propositam fuisse propterea statuo, quod in interpretando vocabulo *ἐφέταις* (ad v. 79 *στυφελοῖς*] *σκληροῖς ἡγεμόσιν*) et in nonnullis aliis rebus cum scholiis recentioribus concinunt, et quod omnia illa, quae ad ephetas spectant, in utrisque scholiis ex Alexandrinorum grammaticorum doctrina fluxisse probabile est. Eius enim vestigium etiam apud Hesychium servatum est, qui s. v. *ἐφέτας* (II p. 240) haec habet: *τοὺς ἡγεμόνας τῶν Περσῶν καταχρηστικῶς· κυρίως δὲ οἱ τὰς φονικὰς δίκας Ἀθήνησι δικάζοντες.* Quibus verbis cum scholiastae recentioris explicatio (e qua verba *ἢ τοξόταις* tanquam glossema hominis Byzantinae aetatis eliminanda sunt, cf. supra p. 3) compleatur, dubitare non debemus, quin grammatici Alexandrini ab Aeschylo Persarum duces ad analogiam Atheniensium ephetarum ephetas nominatos esse statuerint. Quorum in auctoritate eo magis acquiescendum esse puto, quod infra demonstraturus sum Aeschylum optimo iure hac analogia uti potuisse.

Cum igitur omnia conamina ephetarum nominis ope verbi *ἐφιέναι* vel *ἐφίεσθαι* explicandi aut aperte falsa aut certe non probabilia sint, aliud

2

etymon quaerendum erit. Idque invenisse sibi visus est Theodorus Bergkius, qui in Philologi vol. XI. 1856. p. 383 ephetas assessores archontis regis fuisse ob eamque rem nomen illud accepisse contendit; ἐφέτης enim per syncopen mutilatum esse ex ἐφεδέτης, quod magistratus alicuius Samii nomen fuisse constet ex glossa Hesychii (II p. 238) ἐφεδέτα (lege ἐφεδέται), ἀρχή τις ἐν Σάμῳ. Sed ephetae non magis fuerunt assessores archontis regis, quam heliastae archontum omnium; immo constat archontem regem aeque atque eponymum et polemarchum duos assessores habuisse, qui πάρεδροι nominabantur (Poll. 8,92. [Dem.] adv. Neaer. 72. 84; regis παρέδρους neglegentia omiserunt Harpocr. Suid. Photius s. v. πάρεδρος. Hesych. s. v. εὐθύνας II p. 223; cf. etiam Lex. Seg. p. 238.) Itaque ephetae non poterant nominari ab *assidendo*, ne tum quidem, si syncopen illam durissimam, quam exemplis tutatus non est vir doctissimus, tolerabilem esse concedendum esset. Quod autem apud Samios magistratus quidam ephedetarum erat, nullius momenti est, quoniam apud Athenienses certe ephetae non erant magistratus.

Omnes etymologiae, quas hucusque tractavimus, ea re inter se similes sunt, quod ἐφέτης nomen agentis a verbo cum praepositione ἐπί composito deductum esse volunt. Una restat, non magis quidem probabilis, quam ceterae, quae tamen nullo inventoris merito ea re fortasse ad veritatem propius accedit, quod vocabulum ἐφέτης pro composito nominali formato ex praepositione ἐπί et substantivo habet. Lexicographi enim Byzantini (Suid. Phot. Zon. Etym. M. s. v. ἐφέται; cf. Mich. Apostol. 7,34) non solum eam etymologiam proponunt, quam supra p. 5 commemoravimus, sed optionem dant inter illam et alteram, quam his verbis proponunt: ἐφέται δὲ ἐκλήθησαν ἤτοι ὅτι ἐπὶ αἵματι δικάζουσιν (vel ὅτι ἐπὶ αἵματος δικάζειν ἔλαχον). Per se patet vocabulum αἷμα nullo modo posse latere in posteriore parte compositi.

Circumspiciendum tamen erit, num quod aliud nomen in ea lateat. Id autem ita comparatum sit necesse est, ut et forma compositi libera sit offensionibus grammaticis, et notio conveniat condicioni iudicum illorum Atheniensium. Qua tamen in re hoc probe tenendum erit, *iudicandi* no-

tionem in ephetarum nomine non maiore iure requiri quam in heliastarum Atheniensium aut ephororum Spartanorum nominibus. Quae notio si cui in nomine ἐφέτης inesse ideo videatur, quod Synesius (in Dione 54,14 cap. 14 ed. Krabinger: *ὡς εἶδον ἐγὼ δικαστὴν ἐφέτην μετροῦντα τὸν χρόνον τοῖς ἀγορεύουσι.* cf. Suid. s. v. *ἐφετόν*) et Eustathius (opusc. p. 132, 28 ed. Tafel: *κατὰ τῆς κρίσεως, ἧς οὐδεὶς ἐφέτης ὑπερκάθηται*) vocabulum illud generali *τοῦ δικαστοῦ* sensu usurpant (cf. Etym. Gud. p. 224, 20 et Suid. s. v. ἐφέτης in fine: *καὶ ἐφέτης ὁ δικαστής*), eum reputare iubeo vocabulum, quod proprium est speciei cuiusdam satis singularis iudicum, temporibus illis, quae proprietatem sermonis praesertim in rebus dudum antiquatis amiserant, per metonymiam potuisse facillime ad genus universum iudicum transferri.

Haec praefatus undecim etymologiis, quas recensui, iam duodecimam additurus sum; quam difficultate rei perterritus non proponerem, nisi eam et grammaticis et vero etiam antiquariis probatum iri sperarem.

Videtur enim mihi in posteriore parte compositi latere vocabulum vetustate fere obsoletum ἔτης, de cuius significatione et usu mox disputandi locus erit, compositum autem in eorum compositorum numerum referendum esse, quorum posterior pars pendet a praepositione, quacum composita est, quale est *ἀντίθεος*, h. e. *ἀντὶ θεοῦ ὤν.* Ex mea igitur sententia *οἱ ἐφέται* sunt *οἱ ἐπὶ τοῖς ἔταις ὄντες, praefecti etarum.*

Secundum leges sermonis graeci tale compositum ex praepositione *ἐπί* et nomine ἔτης formari potuisse nemo negabit. Satis enim multa exempla huius compositorum speciei extant cum aliarum praepositionum, quarum exempla enumerare longum est, tum praepositionis *ἐπί* auxilio formatarum, quorum e numero sunt: *ἐπάρουρος* (Od. *λ* 489), *ἐπήρετμος*, si de hominibus dicitur (Od. *β* 403; cf. *μ* 171), *ἐπιδέμνιος* (Eur. Hec. 927), *ἐπίδημος* (Soph. O. R. 494), *ἐπίκαιρος*, *ἐπίκληρος*, *ἐπίπεδος*, *ἐπίσκηνος* (Soph. Ai. 579), *ἐπιχώριος*, *ἔποικος* (Pind. Ol. 9, 105), *ἔφαλος* (Il. *B* 538), *ἔφεδρος* (Soph. Phil. 401), *ἐφέστιος* (Od. *γ* 234), *ἔφηβος*, *ἔφιππος*, *ἔφορμος* (Thuc. 3, 76). Nec desunt exempla ad rem publicam muneraque publica spectantia (qualia aliarum praepositionum ope formata sunt

πρόξενος, ἀνθύπατος), in quibus praepositio *ἐπί* praefecti notionem significat: *ἐπίσταθμος* (Isocr. paneg. 120. 162. Lex. Seg. p. 253, 22 *ἐπίσταθμοι: οἱ ἄρχοντες καὶ σατράπαι, οἱ κατέχοντες βασιλεῖ τὰς ὑπηκόους πόλεις, παρὰ τὸ ἐπὶ τοῖς σταθμοῖς εἶναι*) et *ἐφύδωρ*, quo nomine apud Athenienses magistratus quidam minor appellabatur, qui clepsydrae in iudiciis praepositus fuit (Poll. 8, 113. Hesych. s. v. *ἐφ' ὕδωρ λαχεῖν* II p. 244. Phot. s. v. *ἐφ' ὕδωρ*. Suid. s. v. *ἐφ' ὕδωρ* et s. v. *εἴτ' ἐφ' ὕδωρ κακός*. Plut. paroem. cent. 2, 17 in paroem. gr. I p. 339. Append. paroem. cent. 2, 92 ib. p. 413, in quibus omnibus locis non *ἐφ' ὕδωρ*, sed *ἐφύδωρ* legendum est). Duobus his exemplis adderem tertium *ἐπιδημιουργός* (Thuc. 1, 56), nisi probabilius ad aliam speciem compositorum referretur (Schol. ad Thuc. l. c. *ὁ Ἀσκληπιάδης τὴν ἐπὶ πρόθεσιν περιττὴν εἶναι λέγει*), de qua Lehrsius in Aristarch. p. 114 egit, in qua posterior pars compositorum praepositione adverbii in modum determinatur, qualia sunt: *μετάγγελος* (internuntius Il. *Ο* 144. *Ψ* 199), *παρακοίτης* (Il. *Ζ* 430), *ὑποδμώς* (Od. *δ* 386), *ὑφηνίοχος* (Il. *Ζ* 19), et cum praepositione *ἐπί* formata haec: *ἐπιβουκόλος* (Od. *γ* 422), *ἐπιβώτωρ* (Od. *ν* 222), *ἐπιίστωρ* (Od. *φ* 26), *ἐπιμάρτυρος* (Il. *Ζ* 76. Od. *α* 273), *ἐπιποιμήν* (Od. *μ* 131), *ἐπίουρος* (Il. *Ν* 450. Od. *ν* 405. *ο* 39), *ἐπιστράτηγος* (Strab. 17, 1, 13. C. I. n. 2285 II p. 236). In quibus compositis cave cum O. Muellero (Dor. 2, p. 136[2] not.) credas praepositionem *ἐπί* respondere nostro *Ober-* (Oberdemiurg, Oberstratege), cum in *ἐπιμάρτυρος* et *ἐπιίστωρ* nihil aliud significet nisi *μάρτυρα* et *ἴστορα* testem et conscium esse alicuius rei (Zeuge *dabei*), in ceteris autem nihil aliud nisi *δημιουργόν, βουκόλον, ποιμένα, οὖρον, στρατηγόν* praepositum esse alicui civitati, gregi, exercitui.

Quod autem in composito *ἐφ-έτης* substantivi terminatio servatur, id, ut in *μισοδημότης* (Dion. Hal. 7, 42, ubi nunc pro librorum *μισοδημόταις* ex Sintenisii coniectura *μισοδημοτάτοις* legitur), *φιλοδίτης* (Anthol. Pal. 6, 102), *φιλοδεσπότης* (pro qua tamen forma *φιλοδέσποτος* usitatius est), inde explicatur, quod compositum quoque non adiectivum sed substantivum est (Lobeck. paralip. p. 236). Ex compositis eiusdem speciei, quae praepositionem in fronte habent, comparari potest praeter *ἐφύδωρ*, quod supra attuli, *ἀντίχειρ* (pollex) et *προκύων* (antecanis Cic. Arat. 222), quibus, si

ad alterius speciei analogiam provocare licet, addere poteris ἐπιβώτωρ, ἐπιίστωρ, ἐπιποιμήν. Quid, quod ipsius vocabuli ἔτης duo alia composita habemus: ξυνέτης (Hesych. s. v. ξυνέται· συμπολῖται III p. 172) et ἐνέτης (Hesych. s. v. Ἐνέτας· τοὺς ἐνο(ι)κοῦντας II p. 95)? Schmidtius quidem nulla probabilitate glossam posteriorem supplere vult verbis τὴν Ἐνετικήν, ut non ei, qui cives in aliqua civitate sint, sed Veneti intellegantur; sed Lobeckius paral. p. 428 compositum optimo iure tutatus erat. Tertiumne his addendum sit ἀφέτης, quo nomine libertorum Spartanorum species quaedam appellabatur (Myron. apud Athen. 6, 271 f. Eust. ad *O* 431 p. 1024, 45), quod nomen agentis verbi ἀφίημι passivo sensu praeditum (quasi manumissorem dixeris eum qui manumissus sit) Lobeck. ad Aiac. 241 esse voluit, postea videbimus, ubi de notione vocabuli ἔτης exposuerimus.

Quod denique ex ἐπί et ἔτης, ex quibus vocibus alii (Lobeck. paral. p. 440. Goebel in Zeitschr. f. d. Gymn. 1858. p. 814. Autenrieth. lex. Hom. s. v. ἐπητής) vocabulum homericum ἐπητής (Od. ν 332. σ 128; cf. ἐπητύς φ 306), quod rectius ab ἐπ-α-ίω derivatur (Curtius Grundz. p. 389[4]), compositum esse opinati sunt, non ἐπέτης, sed ἐφέτης ortum esse statuo, id iure meo me fecisse facile est ad probandum. Constat enim vocabulum ἔτης apud Homerum digammatum esse (Hoffmann. quaest. Hom. 2, p. 38. Curtius Grundz. p. 674[4]), et scriptum est digammatum ϜΕΤΑΣ in inscriptione Elea antiquissima (C. I. n. 11 I p. 26). Itaque ab Atheniensibus, apud quos vocabulum aliquando in usu fuisse postea demonstrabimus, eo tempore, quo compositum ἐφέτης formatum est, non ἔτης sed ἕτης pronuntiatum esse eo maiore iure contendo, quod vocabulum ἑταῖρος, suffixo ιο ex antiquiore forma ἕ-τα-ρος derivatum eaque ratione eiusdem stirpis atque ἕ-της, spiritum asperum semper servavit. Accedit quod grammatici Alexandrini dubitabant, utrum apud Homerum ἔτης an ἕτης scribendum esset, controversiamque male eo solo argumento disceptabant, quod ex scriptura vocabuli ἔτης apud poetas Atticos quinti a. Chr. n. saeculi, Aeschylum et Euripidem, petiverant (Schol. A B ad *Z* 239. M ad δ 3. E Q ad δ 16. Eustath. ad *Z* 263 p. 641, 53. *H* 295 p. 681, 57. *I* 460 p. 764, 3. δ 16 p. 1480, 7).

Quoniam de forma compositi sententiam nostram plenius fortasse quam oportebat exposuimus, transeamus nunc ad notionem. Eam convenire muneri publico iudicum illorum, qui apud Athenienses causas homicidarias disceptabant, demonstrandum est. Quod ut via ac ratione fiat, videndum est, quae sit notio vocabuli *ἔτης*.

Ex grammaticorum graecorum sententia vocabulum *ἔτης* „*πολλὰ σημαίνει*" (Schol. A ad *Z* 239. Eust. ad *Z* 263 p. 641, 58), scilicet omnia ea, quae Hesychius s. v. *ἔται* (II p. 210) enumerat: *ἑταῖροι, συνήθεις, πολῖται, δημόται, φίλοι, ἐπίκουροι.* Cf. Apoll. Soph. s. v. *ἔται· πολῖται, ἑταῖροι, συνήθεις.* Primariam autem eius notionem eandem atque vocabuli *ἑταῖρος* fuisse opinati sunt; nam ex hoc vocabulo, quod potius ex *ἔτης*, ut modo diximus, denominatum est, *ἔτης* syncope vel apocope decurtatum esse putabant (Schol. A ad *Z* 239. I 464. Eust. ad *Z* 263 p. 641, 58. Schol. ad Apoll. Rhod. 1, 303) et saepissime notionem vocabuli *ἔτης* synonymo *ἑταῖρος* explicabant (cf. praeter Hesych. l. c. et Apoll. Soph.: Apoll. Dysc. de adv. p. 570, 1. Phot. s. v. *ἔταις.* Hesych. s. v. *ἔτεσιν* II p. 214. Etym. M. p. 386, 44. 385, 43. 825, 11. Zonar. s. v. *ὦ τάν* p. 1896. Schol. A ad *H* 295. *I* 464. B L V ad *H* 295. M ad *δ* 3. Eust. ad *H* 295, p. 681, 57. *δ* 16 p. 1480, 7. Schol. ad Apoll. Rhod. 1, 305). Atque haec quidem de notione vocabuli opinio tam firmiter Alexandrinorum mentibus haesit, ut ipse Apollonius Rhodius vocabulo *ἔτης* significatione *τοῦ ἑταίρου* uteretur (1, 305 *κεῖσε δ' ὁμαρτήσουσιν ἔται δμῶές τε κιόντι*). Notio eadem evadit ex eorum grammaticorum sententia, qui vocabulum *ἔτης* a substantivo *ἔθος* deducunt ideoque adiectivis *συνήθης καὶ φίλος* explicant (Suid. s. v. *ἔτης.* Etym. M. p. 386, 44. 825, 11. Schol. V ad *H* 295. E Q ad *δ* 16. Eust. ad *H* 295 p. 681, 57. *I* 460 p. 764, 3. *δ* 16. p. 1480, 7; cf. Apoll. Dysc. de adv. p. 569, 33). Quibus adnumerandus est etiam Porphyrius, cui *ἔται συνέστιοι φίλοι* sunt (Cramer. anecd. Oxon. 4, p. 408, 26. Schol. E Q T ad *α* 238). Neque alia de notione erat sententia eorum grammaticorum, qui vocabulum *ἔτης* aut ab *ἔτος* derivarunt, ut *ἔται* essent *ὁμοετεῖς, συνηλικιῶται* (Etym. M. p. 386, 44), aut ab *ἐτεόν*, ut essent *ἀληθεῖς φίλοι* (Etym. M. p. 386, 44. 825, 11. Hellad. apud Phot. bibl. p. 530, 5. Orion. p. 170, 22).

Ut omnes has etymologias, ita primariae notionis interpretationem falsam esse in propatulo positum est. Si enim locos Homericos ipsos inspexerimus, ex quorum falsa interpretatione hariolationes illae ortae sunt, statim apparebit *ἔτας* alicuius dici eos, qui sunt eius *cognati*. Quam notionem veteres grammatici, quanquam fuerunt, qui eam proponerent, adeo neglexerunt, ut praeter Schol. A B ad *Z* 239 et Zonar. s. v. *ἔτησιν* nemo eius vocabuli *ἔτης* interpretationis vestigium servaverit.

Ac diversos quidem esse *ἔτας* et *ἑταίρους* demonstrant verba, quibus Hector Aiacem alloquitur:

> ***H*** 293 *νὺξ δ' ἤδη τελέθει· ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι,*
> *ὡς σύ τ' ἐυφρήνῃς πάντας παρὰ νηυσὶν Ἀχαιούς,*
> *σούς τε μάλιστα ἔτας καὶ ἑταίρους, οἵ τοι ἔασιν.*

Quorum versuum postremus certe non ideo pro spurio habendus erat, quod *διλογίαν ἔτας καὶ ἑταίρους* (Schol. A ex Aristonico) haberet. Nam *διλογία* non est nisi ei, qui discrimen non intellegit. Itaque iure discrimen inter vocabula illa esse statuerunt et Phrynichus (Schol. E Q T ad *α* 238. Cramer. anecd. Oxon. 4, p. 408, 26) et Eustathius (ad ***H*** 295 p. 681, 53), quorum ille veram notionem non assecutus *ἑταίρους* intellegit *τοὺς κατὰ φιλίαν προσήκοντας, ἔτας* autem *τοὺς συνεστίους φίλους,* hic satis inepte *ἐθάδας* utrosque quidem, sed *ἔτας συνηθεστέρους* esse dixit.

Distinguendi porro sunt *ἔται* etiam a vicinis, ut apparet ex

> *δ* 15 *ὣς οἱ μὲν δαίνυντο καθ' ὑψερεφὲς μέγα δῶμα*
> *γείτονες ἠδὲ ἔται Μενελάου κυδαλίμοιο.*

Nam etsi versus 16 sine dubio vel ideo spurius iudicandus est, quod vicinorum poeta antea

> *δ* 3 *τὸν δ' εὗρον δαινύντα γάμον πολλοῖσιν ἔτῃσιν*
> *υἱέος ἠδὲ θυγατρὸς ἀμύμονος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ*

nullam mentionem fecerat — est v. 16 ex eorum quinque versuum numero, quos nonnulli ab ipso Aristarcho interpolatos esse admirabili errore putarunt (v. Athen. 4, 180 c = 5, 9 Mein. Schol. M T ad *δ* 17), quorum tamen primus (v. 15) sine dubio retinendus est —: tamen non idem significare duo illa vocabula vel rhapsodo cuilibet credemus. Quanquam in distinguendis vocabulis *ἔτης* et *γείτων* veram vocabuli *ἔτης* notionem neque

scholiasta E Q ad δ 16 neque Eustath. p. 1480, 7 assecuti sunt, quorum illi *γείτονες* sunt *οἱ ἐκτὸς ὄντες τῆς πόλεως πλησίον*, *ἔται* autem *οἱ ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως, οἱ συνήθεις*, Eustathio vero *γείτονες οἱ πλησιασταὶ μόνοι, ἔται δὲ οἱ καὶ ἄλλως συνήθεις*, quorum nomine priore loco δ 3 *γείτονες*, qui et ipsi quodammodo *ἔται*, i. e. *ἐθάδες* sint, comprehendantur.

Cognatos autem intellegendos esse *ἔτας* hi loci demonstrant:

Z 237 *Ἕκτωρ δ' ὡς Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκανεν,*
ἀμφ' ἄρα μιν Τρώων ἄλοχοι θέον ἠδὲ θύγατρες
εἰρόμεναι παῖδάς τε κασιγνήτους τε ἔτας τε
καὶ πόσιας.

Π 456 *ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε*
τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Π 674 ubi eidem duo versus repetuntur.

ο, 272 *οὕτω τοι καὶ ἐγὼν ἐκ πατρίδος, ἄνδρα κατακτάς*
ἔμφυλον· πολλοὶ δὲ κασίγνητοί τε ἔται τε
Ἄργος ἀν' ἱππόβοτον, μέγα δὲ κρατέουσιν Ἀχαιῶν.
τῶν ὑπαλευάμενος θάνατον καὶ κῆρα μέλαιναν
φεύγω, ἐπεί νύ μοι αἶσα κατ' ἀνθρώπους ἀλάλησθαι.

Quos locos imitatus est poeta christianus in Anth. Pal.

15, 40, 39 *καὶ τότε δὴ λίσσοντο κυλινδόμεναι παρὰ ποσσίν*
Χριστὸν παμμεδέοντα κασίγνηταί τε ἔται τε.

Ac remotiorem quidem cognationem vocabulo *ἔτης* significari ex locis Homericis patet, quoniam *ἔται* a fratribus distinguuntur. Certis autem finibus hanc remotioris cognationis notionem non esse circumscriptam verba Phoenicis docent:

I 464 *ἦ μὲν πολλὰ ἔται καὶ ἀνεψιοὶ ἀμφὶς ἐόντες*
αὐτοῦ λισσόμενοι κατερήτυον ἐν μεγάροισιν.

Nam is etiam fratres patrueles (consobrinos) numero eorum qui *ἔται* dicuntur eximit. Atque hanc remotioris cognationis significationem vocabulum *ἔτης* sine dubio etiam in loco, quem supra exscripsi, *H* 293 habet, ubi Aiacis *ἔται*, cum eius *ἑταίροις* Achivis ceteris oppositi, ei erunt, qui ex eadem phratria (*φρήτρη*) vel tribu (*φυλή*) sunt (cf. *B* 362); phratrias enim et tribus, quae fundamentum quasi civitatium antiquissimarum erant, etsi raro earum apud Homerum mentio fit (*B* 362. 668. *o*, 273), erant tamen

vel ex poetae sententia societates hominum cognatione quamvis remota inter se coniunctorum. Quare Nitzschius in adn. ad Hom. Od. δ 3 (I p. 230) de hac vocabuli ἔτης notione dubitare non debebat.

Possumus igitur notionem vocabuli ἔτης ita definire, ut omnes alicuius cognatos, qui quidem magis propriis nominibus (κασίγνητος, ἀνεψιός) appellari non poterant, ἔτας eius appellatos esse dicamus. Quae quidem notionis definitio prorsus convenit etymologicae vocabuli ἔτης notioni, quippe quod non a radice verbi substantivi (Lobeck. paral. p. 428), sed a radice pronominis tertiae personae *sva-*, unde etiam ἴδιος (σϝι-διος) factum est, originem duxerit (Benfey, Wurzellex. II p. 202. Froehde in Kuhn, Zeitschrift XII p. 160. Curtius, Grundz. p. 674[4]). Ut igitur ἴδιον proprie *suum*, i. e. *proprium*, significat, ita ἔται sunt *sui* (cf. *sui heredes)*, i. e. *cognati, propinqui (die Angehörigen)*.

Quod autem *cognatos* (i. e. consanguineos) dixi, ideo feci, ut *affinitatis* notionem procul habendam esse significarem. Nam si Hesychius s. v. ἔτας (II p. 211) adscripsit: τοὺς κατ᾽ ἐπιγαμίαν οἰκείους καὶ πολίτας, ea verba corrupta et mutilata esse ex integriore explicatione elucet, quam exhibent Suid. et Zonaras s. v. ἔται· οἱ πολῖται. πηοὶ δὲ οἱ κατ᾽ ἐπιγαμίαν συγγενεῖς (cf. Etym. M. p. 669, 38. Gud. p. 466, 43). Vocabulo autem πηός re vera *affinem* significari aperte docet:

θ 581 ἦ τίς τοι καὶ πηὸς ἀπέφθιτο Ἰλιόθι πρό
ἐσθλὸς ἐών, γαμβρὸς ἢ πενθερός, οἵ τε μάλιστα
κήδιστοι τελέθουσι μεθ᾽ αἷμά τε καὶ γένος αὐτῶν;

Quod, cum ceteri loci (Γ 163. κ 441. ψ 120. Hes. Op. 345. Nic. Ther. 3) non obstent, recte etiam scholiastae statuerunt (Schol. B L V ad Γ 163. B Q ad θ 581. Q V B ad κ 441. V ad ψ 120. E Q T ad α 238 in fine. Schol. ad Nic. Ther. 3). Ceterum ab eadem pronominis radice *sva-* potuisse etiam affinitatis notionem proficisci, id quod in lingua lituanica factum esse ex Fickii libro (Vergl. Wörterb. d. indog. Spr. p. 619[2]) discimus, non nego. Hoc quoque concedo, fieri potuisse, ut eisdem hominibus utrumque vocabulum haud raro conveniens esset; antiquissimis enim temporibus gentiles more maiorum eiusdem plerumque gentis mulieres in matrimonium duxisse constat.

Iam vero idem vocabulum ἔτης etiam *civem* significat. Hoc testantur non modo lexicographi (Hesych. s. vv. ἔται, ἔτας, ἔτεσιν, ἐτεταί, ξυνέται, ὦ ἔτα. Apoll. Soph. s. v. ἔται. Etym. Gud. p. 214, 57. Suid. s. vv. ἔται et ἔτης. Zonar. s. v. ἔται) et scholiastae (Schol. B ad *Z* 262. A ad *I* 464. *M* ad δ 3. E Q ad δ 16. Eustath. ad *Z* 263 p. 641, 53. δ 16 p. 1480, 7; cf. paraphr. *Π* 453. 674), sed ipse Homerus. Nam si Hecuba Hectorem his verbis alloquitur:

Z 261 ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει,
ὡς τύνη κέκμηκας ἀμύνων σοῖσιν ἔτησιν

apparet non dici solos cognatos Hectoris sed omnes Troiae urbis cives ab Hectore defendi. Eademque notio sine dubio etiam in Odysseae loco δ 3, quem supra exscripsi, statuenda erit, ubi πολλοὺς ἔτας si de multis civibus urbis Spartae intellexeris, omnia plana erunt. Atque hanc civium appellationem etiam sexto et quinto ante Christum natum saeculo in civitatibus Peloponnesiacis sollemnem fuisse testantur Elea inscriptio antiquissima (C. I. n. 11 p. 26), in cuius fine ex Boeckhii transscriptione leguntur haec:

αἰ δέ τιρ τὰ γράφεα ταῒ καδαλέοιτο, αἴτε Ϝέτας αἴτε τελέστα αἴτε δᾶμός ἐντ᾽, ἐπιάρῳ κ᾽ ἐνέχοιτο τῷ ᾽νταῦτ᾽ ἐγραμμένῳ

et clausula foederis Lacedaemoniorum Argivorumque a Thucydide 5, 79 servati haec:

τοῖς δὲ ἔταις κattὰ πάτρια δικάζεσθαι.

Eamque appellationem vel tragicis Atticorum poetis cognitam fuisse prodit ex loco Aeschyli:

Suppl. 246 εἴρηκα ἀμφὶ κόσμον ἀψευδῆ λόγον.
ἐγὼ δὲ πρός σε πότερον ὡς ἔτην λέγω,
ἢ τηρὸν ἱροῦ ῥάβδον ἢ πόλεως ἀγόν;

Cui testimonio accedunt fragmenta duo a Schol. A ad *Z* 239 et ab Eustathio p. 641, 58 servata, alterum Aeschyleum (fr. 368 Dind.):

οὔτε δῆμος οὔτ᾽ ἔτης ἀνήρ

alterum Euripideum (fr. 1003 Dind.):

πόλει μὲν ἄρχων, φωτὶ δ᾽ οὐκ ἔτῃ πρέπων.

Quaerendum est igitur, qui factum sit, ut vocabulum, quod *cognatos* (consanguineos) *alicuius* significet, *civis* notionem induerit. Quam quaestionem nec tetigerunt viri docti, qui de vocabulo *ἔτης* egerunt, nec si tetigissent solvere potuissent, quoniam eo vocabulo civem appellari putabant, *quatenus homo privatus* esset. In hunc errorem G. Hermannus ad Aesch. l. c. et Boeckhius in explicatione inscript. Eleae perducti sunt non tam ea re, quod Hesych. s. v. *ἔται* (II p. 210) in enumeratione significationum *δημότης* vocabulum vocabulo *πολίτης* apposuit, quam specie externa loci Supplicum, ubi scholiasta et ipse adscripsit: *ἔτην, νῦν δημότην.* Nam cum in Aeschyli illo loco *ἔτης* opponatur et sacerdoti (vel praeconi) et regi, *ἔτης* sine dubio is dicitur, qui est homo privatus. Idemque cadit in fragmentum Euripideum, quod Herwerdenus (v. Dind. fr. 1003) hunc in modum emendavit:

πόλεως μὲν ἀρχῷ, φωτὶ δ' οὐκ ἔτῃ πρέπων,

ut *ἔτης* summo urbis magistratui opponeretur. Sed ex hac oppositione privati et regis vel magistratus non sequitur, *ἔτην* civem appellari, *quatenus* homo privatus sit, vel *ἔτην* propterea dici, *quod* homo privatus sit. Curtius porro ipsa explicatione *δημότης* perductus videtur esse, ut *ἔτης* idem significare atque *δήμου ἀνήρ* (Il. *B* 198. *Δ* 328. *M* 447) diceret (Grundz. p. 675[2]), quae formula Homerica et ipsa vocabulo *δημότης* explicatur (Eust. p. 201, 9. 847, 40. 913, 42). Sed huic opinioni obstat fragmentum Aeschyleum: *οὔτε δῆμος οὔτ' ἔτης ἀνήρ*, in quo *ἔτης* opponitur *δήμῳ*, ut, cum *δῆμος* aut de toto populo, aut de uno aliquo homine ex populo (Il. *M* 213, ubi cf. Schol. A. Etym. M. p. 265, 10. Hesych. s. v. *δῆμον ἐόντα* I p. 482. Eust. ll. cc.) intellegendum sit, *ἔτης* potius *ἔξοχον* aliquem *ἄνδρα* (*B* 188) quam *δήμου ἄνδρα* significet. Si igitur ab Hesychio et scholiasta Aeschyleo *ἔτης* idem valere ac *δημότης* dicitur, ipsum hoc *δημότης* non eo sensu intellegendum est, ut civem aliquem inferioris condicionis, *ἕνα τῶν πολλῶν* (Hesych. l. c.), sed aeque ac *πολίτης* civem privatum quidem sed eundem optimo iure civem significet.

Atque haec notio *civis optimo iure*, quae ex fragmento Aeschyleo necessario colligitur, optime et loco Supplicum et fragmento Euripideo convenit. Nihil enim obstat, quin hominem privatum, de quo ibi sermo est, civem

optimo iure esse dicamus, neque causa erat, cur Aeschylus et Euripides in civibus optimo iure commemorandis eo nomine propterea abstinerent, quod privata eorum condicio urgenda erat. Convenit notio illa etiam foederi Thucydideo et inscriptioni Eleae. In foederis enim illius verbis *τοῖς δὲ ἔταις καττὰ πάτρια δικάζεσθαι* cum dativus ferri nequeat, Poppo sine dubio recte accusativum *τοὺς δὲ ἔτας* restituit. Sententia igitur est ea, quam scholiasta proposuit: *τοὺς πολιτευομένους ἐν μιᾷ ἑκάστῃ πόλει δι' ἀλλήλων λύειν τὰ πράγματα*, vetantur scilicet cives singularum civitatium in ipsorum controversiis id facere, quod in verbis antecedentibus civitatibus ipsis inter se litigantibus concessum erat: provocare ad iudicium alienae civitatis (quibus de iudiciis cf. Etym. M. p. 322, 44. Zonar. s. v. *ἔκκλητος*. Lex. Seg. p. 247, 33 *ἐξῆν δὲ τοῖς ξένοις μάλιστα ἐκκαλεῖσθαι, τοῖς δὲ πολίταις ἥκιστα.* Hesych. s. v. *ἔκκλητοι δίκαι* II p. 45 *αἱ ἐπὶ ξένης λεγόμεναι, καὶ οὐκ ἐν τῇ πόλει*). Ac per se patet talia non civibus minoris iuris sed civibus optimo iure scribi. Inscriptionis autem Eleae verba Boeckhius quidem p. 31 ita interpretatus est, ut *Ϝέτας* de cive *privato*, *τελέστα* (coll. *τὰ τέλη ἔχοντας* apud Thuc. 5, 47) de *magistratu*, *δᾶμος* de *pago* intellegeret, pagos autem Eleorum et Heraeensium aliquatenus autonomos fuisse ideoque merito a *civibus* et *magistratibus* secerni potuisse eruditissime demonstraret. Sed cum *δᾶμος* sine dubio eadem ratione vocabulo *ἔτης* opponatur, ut in fragmento Aeschyleo, dubitandum non est, quin *δᾶμος* potius de homine *plebeio*, *Ϝέτας* de cive *nobili* intellegendum sit. *Τελέστα* utrum sit magistratus, an *περίοικος* vectigalis, qui ita a *τέλος*, vectigal, nominari poterat, incertum est.

Quodsi recte statuerimus vocabulo *ἔτης* sexto et quinto saeculo civem non appellari, quatenus privatus sit, sed quatenus *civis optimo iure* sit, facile intellegitur, qua via a notione cognati ad civis notionem factus sit transitus, qui vix explicari posset, si *privati* civis notio urgenda esset. Sponte enim apparet nomen illud vetustissimum civium ad ea tempora referendum esse, quibus civitas ipsa a cognatarum familiarum, gentium, phratriarum nexu familiari pendebat, quibus nemo civis erat, nisi qui familiae, genti, phratriae adscriptus esset, omnesque autem familiarum, gentium, phratriarum participes ea ipsa re et cives erant et quasi domini

ceterorum incolarum a familiari hoc nexu alienorum. Quo in civitatium statu cum cives omnes omnium cognati essent, aut, ut cautius dicam, cognationis quamvis remotae vinculo inter se coniuncti esse putarentur, apparet relative omnes potuisse dici omnium ἔτας, deinde etiam absolute ἔτας. Atque relativo hoc sensu apud Homerum ἔται Hectoris (*Z* 261) et Menelai (δ 3) cives Troiani et cives Spartani omnes intellegendi sunt. Absoluti autem usus indicium id est, quod in fragmento Aeschyleo ἔτης ἀνήρ, in Euripideo φὼς ἔτης habemus, quae dicta esse ex analogia locutionis ἀνὴρ πολίτης apparet.

Comparari potest cum hoc civium nomine temporibus heroicis orto et Romanorum *patres*, quippe quod nomen civium vetustissimorum et ipsum cum iure familiarum, agnationum, gentium, curiarum conexum sit, et Lacedaemoniorum ὅμοιοι, quippe quod vocabulum natura sua non minus relativum quam ἔται, usu vim absolutam eam nactum sit, ut omnes eos significaret, qui inter se ὅμοιοι essent.

Si autem hac ratione vocabuli ἔτης de civibus usum explicamus, simul hoc explicatur, quod vocabulum illud ad cives nominandos adhiberi mature desiit. Athenis certe, ubi ante Solonem soli εὐγενεῖς vel εὐπατρίδαι cives erant (cf. Ad. Philippi, Beiträge zur Gesch. des att. Bürgerrechts p. 185 sqq. 233 sqq.), iam Solonis legibus eo perventum est, ut non soli ἔται, sed etiam alii incolae cives essent, quo factum est, ut ei, qui ἔται ex iure familiarum dici non possent, cum ἔταις communi πολιτῶν nomine comprehenderentur.

At, inquies, nondum demonstratum est Athenis quoque cives aliquando ἔτας appellatos esse. Audio, nam Aeschyli et Euripidis et Thucydidis loci nihil aliud probant, nisi cognitam eam civium appellationem scriptoribus Atticis fuisse. Sed ipsorum Atheniensium usus certissime comprobatur formula compellandi antiquissima Atticorum propria ὦ 'τάν vel ὦ 'τᾶν, qua Sophoclem (O. R. 1145. Phil. 1387), Euripidem (Bacch. 802. Heracl. 321. 688. Cycl. 536), Cratinum (Schol. ad Arist. Plut. 66. Suid. s. v. ὦ τάν), Aristophanem (Nub. 1267. Vesp. 1156. Plut. 66), Platonem (Apol. 25 c. ep. 3, 319 e; cf. Timaei lex. Plat. s. v. et Anthol. Pal. 11, 157), Demosthenem (Olynth. 1, 26. 3, 29), immo etiam Imperatorem Iulianum (or. 7, 219 b) usos esse scimus, quae, postquam in sermone virorum obsoleverat,

a mulieribus antiqui sermonis tenacissimis diutissime retinebatur (Suid. et Philemon s. v. ὦ τάν. Schol. ad Plat. apol. 25 c). Hanc formulam Didymus vocativum vocabuli ἔτης esse dixit, id quod statui non potest, alii pro genetivo dorico vocabuli ἔτης habuerunt: ἐτᾶν, quod et ipsum non est probabile, Apollonius autem Dyscolus mea opinione rectissime ita explicavit, ut ᾽τᾶν vocativum esse diceret vocabuli ἐτᾶν, quod ex ἔτης ita formatum sit, ut μεγιστᾶν ex μέγιστος, ξυνᾶν e ξυνός, νεᾶν (cf. νεανίσκος, νεανίας) ex νέος (Apoll. Dysc. de adv. p. 569, 11 sqq.; cf. Hellad. apud Phot. bibl. p. 530, 2. Suid. Zonar. Philemon s. v. ὦ τάν. Etym. M. p. 825, 11. Etym. Gud. p. 583, 30. Orion. p. 170, 22. Schol. ad Plat. Apol. 25 c. ad Arist. Plut. 66. Eustath. ad *A* 11 p. 24, 17. Bekker. anecd. 2, p. 949, 21). Buttmanni contra (Gr. gr. I p. 224) et Curtii (Grundz. p. 675[4]) sententia de pronominali formae τάν origine non satis certis argumentis nititur. Ea enim neque dorica forma pronominis tertiae personae τῆνος, neque Homerica forma pronominis secundae personae τύνη probari potest; sanscriticum autem *tvam* apud Atticos factum esse τάν vel τᾶν ideo non probabile est, quod pronomini *aham* respondet ἐγών; Hesychii denique glossa τᾶν· σύ (IV p. 127) eo minus urgenda est, quod excerpta est ex pleniore explicatione glossae ἆ τᾶν· ὦ σύ, ὦ ἑταῖρε, ὦ οὗτος, ὦ μακάριε. πρόσρημα τιμητικῆς λέξεως. λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ εἰρωνείᾳ πολλάκις (IV p. 333), in qua si ὦ σύ adscripsit, vim quidem universam formulae recte descripsit, cognationem vero vocabulorum τᾶν et σύ affirmare noluit (cf. Moeris s. v. ὦ τᾶν, Ἀττικῶς. ὦ σύ, Ἑλληνικῶς. Tim. lex. Platon. s. v. ὦ τᾶν. ὦ οὗτος). Id ipsum autem, quod τιμητικῆς λέξεως πρόσρημα esse dicit Hesychius, optime convenit ei ἐτῶν in civitate Atheniensium condicioni, quam supra exposuimus.

Atheniensium eupatridas priscis temporibus ἔτας vel potius ἕτας (cf. p. 13) nominatos esse etiam ex singulari vocabuli ἑταιρία vel ἑταιρεία apud Atticos usu colligi potest. Constat enim ἑταιρείας dictas esse factiones civium nobilium: Cylonis, Megaclis, Solonis, Pisistrati, Clisthenis, Isagorae, Cimonis, Thucydidis, donec belli Peloponnesiaci temporibus eo perventum est, ut etiam non nobiles homines, qui in re publica aliquam potentiam nacti essent, ἑταιρειῶν principes existerent (Vischer, die oligar-

chische Partei und die Hetärien in Athen. Basel 1836. Büttner, Geschichte der politischen Hetärien in Athen. Leipzig 1840). Nonne igitur probabile est hunc vocabuli *ἑταιρείας* usum inde originem duxisse, quod factiones principum ab initio ex eorum *ἕταις* et *ἑταίροις* (i. e. asseclis etarum) constabant et quasi clientelae civium nobilium erant? Antiquissima autem *ἑταιρεία*, de qua audimus, Cylonis erat, qui tyrannidem occupare conatus est. De eo narrans Herodotus scribit 5, 71: *οὗτος ἐπὶ τυραννίδι ἐκόμησε, προσποιησάμενος δὲ ἑταιρηΐην τῶν ἡλικιωτέων καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν ἐπειρήθη.* Quo in loco vocabulum *ἡλικιωτέων* scrupulum mihi iniecit gravissimum. Nam *ἡλικιῶται* aut sunt aequales Cylonis (cf. Plat. *ὅροι* 413 c: *ἑταιρεία φιλία κατὰ συνήθειαν ἐν τοῖς καθ' ἡλικίαν γεγενημένοις*, quae tamen definitio vix ad hetaerias politicas pertinet), aut omnino iuniores (cf. Lex. Seg. p. 1 *ἡλικίαν γὰρ ἔλεγον καὶ τὴν νεότητα οἱ ἀρχαῖοι* et locutionem *οἱ ἐν ἡλικίᾳ*). Quarum in explicatione in altera utra si quis acquiescere velit, eum convincere quidem erroris non possum, attamen, si reputaveris Thucydidem et Plutarchum de eadem re loquentes non *ἡλικιώτας* sed *φίλους* (Thuc. 1, 126) et *συνωμότας* (Plut. Sol. 12) nominare asseclas Cylonis, et si comparaveris Etym. M. p. 386, 45, ubi s. v. *ἔτης* leguntur haec: *λέγεται δὲ καὶ ὁ συνηλικιώτης παρὰ τὸ ἔτος, ὁ τῶν αὐτῶν ἐνιαυτῶν ὤν, οἷον ὁμοετής*: retineri vix poteris, quin Herodoti illud *ἡλικιωτέων*, quod vocabulum nullo alio loco apud Herodotum me legere memini, interpretamentum esse vocabuli *ἐτῶν* vel *συνετῶν* conicias. Probabilius est enim Cylonem gentilium suorum eorumque clientium, quam aut aequalium aut iuniorum solorum opibus fretum tyrannidis occupandae consilium inisse.

Sed utut hoc est, cum et propter formulam *ὦ τᾶν* et propter vocabuli *ἑταιρεία* usum singularem negari non possit cives Athenienses ante Solonem *ἕτας* nominatos fuisse, nihil iam obstat etymologiae vocabuli *ἐφέτης* a nobis propositae. Ephetae igitur erant, ut dixi, etarum, h. e. civium eupatridarum, praefecti. Quibus cur causae homicidariae mandatae sint, facile est explicatu. Ultio enim privata antiquitus omnium etarum hominis occisi fuerat, ut inde prodit, quod Theoclymenus in Odyssea *ο* 272 ultionem etarum occisi hominis tribulis (*ἐμφύλου*) timet. Aboleri ea vix

aliter potuit, nisi iudicio de caedibus mandato eis, qui publica auctoritate etis omnibus praepositi erant. Nam nullorum aliorum iudicum de caedibus iudicia omnes etae rata erant habituri.

Iam absolvere possumus quaestionem de loco Aeschyli Persarum, quam supra (p. 9) imperfectam reliquimus. Si ephetae Athenienses praefecti gentium eupatridarum erant, et ipsi, ut per se patet, ex familiis nobilissimis orti, perspicuum est Aeschylum optimo iure nobilissimos illos Persas, qui exercitus duces erant, ad analogiam ephetarum Atheniensium nominare potuisse *ἐφέτας χρυσονόμου* vel *χρυσογόνου γενεᾶς* tanquam praefectos tribulium ortos ex familiis nobilissimis et ditissimis.

Vocabulum autem *ἀφέται*, quo species quaedam libertorum Spartanorum nominabatur, de quo supra (p. 13) certum iudicium ferre non poteramus, aliquatenus fortasse dilucidius nunc erit. Nomen enim agentis passivo sensu instructum *ἀφέτης* nullo modo esse potest, quoniam nomen agentis activo sensu praeditum in usu erat. Cf. Eustath. ad *Ψ* 886 p. 1335, 2. Etym. M. p. 176, 6. 177, 23; deinde nomen oppidi in ora maritima siti, quod a mittendis navibus dicebatur *Ἀφεταί* vel *Ἀφέται* (Herod. 7, 193. 196. 8, 6. Apoll. Rhod. 1, 591. Herodian. I p. 343, 4. Steph. Byz. Suid. Zon. s. v.); ante omnia autem compositum *Σαλαμιναφέτης*, quod Solon in elegia, quae Salamis inscribitur, finxit quidem, sed certe non finxisset, nisi *ἀφέτης* de eo qui *ἀφίησιν* in usu fuisset. Nisi igitur statuere malueris vocabulum *ἀφέτας* apud Spartanos idem esse atque *ἄφετος* (O. Mueller, Dorier 2, p. 39[2]) et pleniore tantummodo terminatione a participio illo passivo differre, — qua ratione etiam alia nonnulla vocabula in *της* exeuntia (p. 6), quae nomina agentis esse non possunt (quale est *ἰοδέτης* Lobeck. ad Ai. 241), fortasse explicari poterunt, — nihil aliud restat, nisi ut *ἀφέτας* filios civium Spartiatarum esse statuas, ex mulieribus Heloticis procreatos (*ἐτῶν ἀπογόνους*), propter originem aut libertate donatos aut pro liberis habitos. Quam explicationem si probaveris, habebis compositum, quod non solum forma sed etiam ipsius compositionis ratione prorsus respondeat composito *ἐφέτης*.

Finita quaestione de ephetarum Atheniensium nomine a iudicibus homicidariis ad academicorum iudicum incruenta iudicia, quae in certamine litterario commilitonum nostrorum hoc anno facta sunt, transeamus publicatisque eorum nominibus, qui praemiis digni iudicati sunt novas quaestiones in annum proximum promulgemus.

Theologorum ordini, qui iterum quaestionem proposuerat: „*Pontificiorum et evangelicorum doctrina de ecclesia quomodo differat exponatur*,“ tres dissertationes traditae sunt, de quibus haec ad nos scripsit:

Sämmtliche drei Arbeiten verdienen das Zeugniss ernsten wissenschaftlichen Strebens, tüchtiger Kenntnisse und guten Urtheils. Doch fehlt der Arbeit mit dem Motto: „*Non multa sed multum*,“ deren Verfasser selbst bekennt, noch in den ersten Semestern seiner akademischen Studien zu stehen, diejenige Uebung und Sicherheit des dogmatischen Denkens, wie sie zur Lösung der gestellten Aufgabe erforderlich war. Grössere Reife zeigt die zweite Arbeit mit dem Motto: „*Ps.* 90, 10.“ Nur mangelt ihr die nöthige innere Geschlossenheit der Entwickelung. Beide Arbeiten aber haben soviel Tüchtiges, dass sie eine rühmende Hervorhebung wohl verdienen. — Die dritte Arbeit mit dem Motto: *Εἷς ποιμὴν μία ποίμνη* überragt die beiden anderen an Sicherheit der Methode, an Consequenz der Entwickelung und an Feinheit der Behandlung, wie sie sich auch im Ganzen durch ein leichtes fliessendes Latein auszeichnet. In Folge dessen war die Facultät nicht zweifelhaft darüber, dass diese Arbeit des Preises würdig zu erachten sei.

Bei Eröffnung der Schedula ergab sich als Verfasser:

AUGUST LUDWIG SEIDEL
stud. theol. aus Thallwitz bei Wurzen.

Autores earum commentationum, quae honorifica mentione dignae iudicatae sunt, nomina ipsi professi sunt. Commentationis, quae inscripta est „*Ps.* 90, 10“, autor est:

CHRISTIANUS FRIDERICUS SCHMIDT
stud. theol. Bornanus.

Alterius commentationis, quae insignita est verbis: „*Non multa sed multum*“ autor est:

JOANNES WENDT
stud. theol. Hamburgensis.

Iurisconsultorum ordini, qui quaestionem proposuerat: „*Darstellung der sachenrechtlichen Grundsätze des Augsburger Stadtrechts (herausgegeben von Meyer* 1872) *unter Vergleichung mit den Grundsätzen gleichzeitiger verwandter süddeutscher und norddeutscher Rechtsquellen*“, nulla dissertatio tradita est.

Medicorum ordini, qui quaestionem proposuerat: *„Klinisch-anatomische Bearbeitung des Wund-Erysipels"*, una dissertatio tradita est, de qua hoc iudicium tulit:

Der Verfasser der mit dem Motto: *„Nicht Kunst und Wissenschaft* etc." bezeichneten Abhandlung hat mit ausserordentlichem Fleisse zusammengestellt, was er in der Litteratur von der ältesten bis in die neueste Zeit über Erysipel gefunden, eine Arbeit, die nicht eigentlich geboten war, da die Aufgabe eine klinisch-anatomische Bearbeitung des Wund-Erysipels verlangte. Ausserdem hat der Verfasser zwölf Fälle von Erysipel selbständig beobachtet und dabei fast alle wichtigen Puncte eingehend berücksichtigt. Dieser zweite Theil der Arbeit, den der Verfasser, wie er selbst angibt, zu spät in Angriff genommen, steht zwar bedeutend gegen den ersteren zurück, gibt aber doch Zeugniss von dem Fleisse und der Begabung des Verfassers, die beigegebenen histologischen Präparate entsprechen dem gegenwärtigen Stand der Technik, und so hat die Facultät beschlossen, dem Verfasser den Preis zuzuerkennen.

Nach Eröffnung der Schedula ergab sich als Verfasser:

RICHARD KROEMER

stud. med. aus Zöblitz (im sächsischen Erzgebirge).

Philosophorum ordinis classis prima quaestionem proposuerat: *De accentu linguae latinae veterum grammaticorum testimonia colligantur et breviter iudicentur.* Traditus est unus libellus, verbis, quae partim Ciceronis partim ipsius autoris sunt, insignitus: *„quicquid est eo decet uti et quicquid agas agere pro viribus."*

De eo iudicium latum est hoc:

Die Bearbeitung des gestellten Thema's zeugt von so viel Fleiss, Genauigkeit und Gründlichkeit, dass sie zum Theil über das Mass des Geforderten weit hinausgeht. Der Verfasser beherrscht die einschlägige, sowohl antike als neuere Litteratur, gibt eine vollständige und wohlgeordnete Zusammenstellung der Thatsachen, und unterwirft die bisher aufgestellten Theorien in sorgfältigen Ausführungen einer im Allgemeinen sehr gesunden Beurtheilung, wenn er auch hie und da vielleicht etwas zu jugendlich scharf auftritt, einige Male auch die wünschenswerthe Klarheit, sowie insbesondere eine eingehendere Vertrautheit mit der Metrik der altlateinischen Dramatiker vermissen lässt. Im Ganzen aber hat er einen werthvollen Beitrag zu tieferer Einsicht in das Wesen des lateinischen Accentes geliefert und damit der Wissenschaft einen Dienst geleistet. Die lateinische Darstellung empfiehlt sich durch leichte Verständlichkeit und im Ganzen correcte Fassung.

Itaque ordo philosophorum dissertationem praemio dignam iudicavit et scidula aperta autor inventus est:

FRIDERICUS SCHOELL

stud. phil. Weimaranus.

Classi secundae, quae quaestionem proposuerat: *Prüfung der in Schopenhauers Werk: „Die Welt als Wille und Vorstellung" enthaltenen Kritik der Kantischen Philosophie*, una commentatio tradita est, verbis inscripta: *„Durch behutsame und schonende Kritik wird allein das rechte Verständniss gefördert"*, de qua hoc iudicium latum est:

Es lässt sich zwar nicht verkennen, dass der Verfasser mit vielem Eifer bestrebt ist, Kants Erkenntnisstheorie gegen Schopenhauers Einwürfe zu vertheidigen und

von den ihr schuld gegebenen Flecken zu reinigen; aber seine Arbeit ist eine nicht zur Reife gediehene fragmentarische Studie geblieben. Auch ist der Ton, in welchem er häufig Schopenhauer abfertigt, nicht ein solcher, wie er sich einem scharfsinnigen und selbständigen Denker gegenüber ziemt.

Itaque ordo philosophorum dissertationem praemio dignam esse negavit.

Classi tertiae, quae quaestionem proposuerat: *Discussion der verschiedenen Methoden, durch welche die Entfernung der Sonne von der Erde ermittelt werden kann*, nulla scriptio tradita est.

Restat ut novas quaestiones in proximum annum propositas promulgemus:

Ordo *theologorum* inquiri iubet:

quaenam sit Veteris Testamenti de iustitia Dei puniente doctrina atque an ea secum ipsa concordet, locorum Exod. XX, 5. *Deuter. XXIV*, 16. *Ezech. c. XVIII prae ceteris ratione habita.*

Ordo *iuris consultorum* quaestionem proponit:

Ueber das Verhältniss von Hehlerei und Begünstigung nach dem deutschen Reichsstrafgesetzbuche, unter Berücksichtigung der neuern deutschen Landestrafgesetzbücher.

Ordo *medicorum*:

Die Retinalpulserscheinungen bei Herzkrankheiten.

Ordinis *philosophorum* classis *prima*:

Gatterer's und Schlözer's Verdienste um die Geschichtschreibung sollen dargestellt werden.

Eiusdem ordinis classis *secunda*:

Gedrängte Darstellung des Pantheismus in seinen geschichtlichen Hauptformen und insbesondere Prüfung seiner Grundlagen vom psychologischen und metaphysischen Gesichtspuncte.

Eiusdem ordinis classis *tertia*:

Es sollen untersucht werden die Elasticität und Dehnungsverhältnisse der vegetabilischen Gewebe. Anzuknüpfen ist die Untersuchung an die einzigen, welche überhaupt bis jetzt durch Sachs gemacht sind.

Eos, qui his quaestionibus solvendis praemia adipisci voluerint, rogamus, ut libellos suos addita scidula obsignata, quae in interiore parte nomen autoris contineat, in exteriore autem dicto aliquo inscripta sit eodem quidem, quo ipse libellus notatur, sui quisque ordinis decano ante primum diem mensis Augusti anni proximi tradant.

D. Lipsiae pridie Kal. Nov. anni MDCCCLXXIII.